APHONOLOGIA. SEU DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS, DE APHONIA, QUAM, ...

Caspar Bartholin, Jørgen Hahn

ERuditissimam de Aphonia Dissertationem, multo studio concinnatam, publicæ rei nihil obesse, & non sine magno studiosæ juventutis emolumento legi posse,

censuit

E. BARTHOLINUS.

RECTOR
REGIÆ ACADEMIÆ HAFNIENSIS,
D. ERASMIUS BARTHOLINUS,
REGIUS IN SUPREMO TRIBUNALI ASSESSOR, PROFESSOR HONORARIUS, FACULTATIS MEDICÆ
DECANUS,
L. S.

SPonte eqvidem sua Optimo cuiqve mortalium tanqvam in venis medullisq; insatiabilis honoris atqve gloriæ cupiditas insidet, tantoq; ipsius ardore generosissimi qviqve ducuntur, ut hocce mentis desiderium natura ipsa velut ultimum pallium postremò omnium deponere videatur, nec sapientioribus animis eadem immensa gloriæ sitis, nisi novissima, exstingvatur. Sed velut alma Virtus per voluptuosas neqvaqvam delitias semper incedere solet, nec sua molibus desidiosisq; animis emolumenta largiri; sic nec delicato unqvam itinere ad altissimum illud honoris ex eoq; pulvinaris solidissimæ gloriæ fa-

stigium conscendere, & amplissima ista Virtutis præmia adipisci cuipiam datum est, scrupea sanè est, ardua, varijsq; dumetis obsita, qvæ illuc recto tramite via perducit, assiduo soli superabilis labori. Haud secus ac amœnissimas qvi rosas carpere aut, pungentibus rubis & acutissimis spinis manus suas inserere haud qvaqvam metuat, qviqve favos extrahere & dulcissimum inde mel unqvam elicere tentat, si fronti nimis suæ is sollicitus caveat, incassum ferè conatum omnem perdere vel consumere solet; eadem profectò veræ gloriæ ratio apparet, utpote cujus omnis svavitas multo cum labore perpetuo qvasi connubio adeo conjuncta existit, ut, qvi illiam percipere ac degustare desiderat, hunc sibi qvoq, familiarem ac qvotidianum comitem reddere cogatur, ubi huc ritè præcesserit, indubitanter ipsa atqve suapte sequatur. Hinc priscorum id olim temporum dicterium fuit, magna qvævis non parvis sudoribus capi, idemq; & nostri seculi experientia firmat, summa qvæqve, nisi summis exantlatis laboribus, comprehendi minimè posse. hi soli penetrant quo sapientum vota contendunt, nec arte alia ritè pendunnur occlusa honoris solidi claustra. Haud sanè Amphiaraus Vates, si Martis molestias & pericula tantopere reformidans, imbelli semper desidia torpens domi se intra jucundos Eriphyles suæ amplexus continuisset,

ſſet, nec unqvam niſi ingratis atqvè invitò in bellum Thebanum protractus fuiſſet, haſtam ſuam ab illa volucrum principe in auras tam gloriosè ſublatam, terræq; poſtea defixam, in, triumphis illam olim dicatam, Phœboq; gratiſſimam, Laurum, unqvam tranſmutatam vidiſſet. Qvo ſanè teſti figmento, aſſidua qvaſi manu vibrandi, laborem nobis & induſtriam cenſemus notari, & lauri, ejus loco ſuccreſcentis, ſub cortice, immortalem gloriam æternumq; decus latere. Nil itaqve mirum, qvod generoſiores qvæqve mentes, qvas ramuris ſtimulatq; iſta gloriæ flamma, intimaq; ipſarum penetralia obſidet, nullos ſubterfugiant vel plurimorum Annorum labores, ut ultimo tandem nixu in optatum culmen feliciter evadere poſſint, licet ipſo in limine laborandi illa moleſtia amara qvædam præbere videatur, ſed qvò longius proceſſerint, eò magis ſolum ſibi molliri deprehendunt, ipſosq; ſudores circa exitum ſuaviora multa effundere, dum ſe a vulgo tandem ſecerni, & reliqvorum cervicibus feliciter ſupervehi ſentiant atqve lætentur.

Cum itaqve, haud aliâ ad excelſas Honoris ædes & auguſtam Gloriæ poſſeſſionem viâ tutiùs iri poſſe, perſpiceret *Vir Clariſſimus & Experientiſſimus*, MAG. GEORGIUS HANNÆUS, Ethices ac Eloqventiæ in Regio Othini-

cnſium Gymnaſio Profeſſor; avidè ſatis illâm corripuit, & vel à primis melioris ætatis incunabulis, voluptatibûsqvibusqvea c inertis ignaviæ lenociniis abjectîs laboribus vigiliisq́; ſe totum addixit. Et ingens ſanè ipſi calcar addidit Virtus clarissimi generis, & avitæ gloriæ æmulatio, ſangvinisq́; inſignis prærogativa juſſit ſumma cum contentione vigilare, ne gentis unqvam ſuæ decus eluderet, ſuâq́; ipſius culpa plebeia inter pectora cenſeretur. Othiniæ etenim, in inclyta ſatis Patriæ urbe, non infimo loco prognatus, currentis nempe ſeculi ſeptimo ſupra qvadrageſimum Anno, ex Nobiliſſima Hannææ, ac Mulenianæ ſtirpis affinitate, Patrem, habuit Senatorii ordinis Virum Spectatiſſimum, Hermannum Hannæum, Avumq́; maternum, urbis iſtius Gravisſimum Conſulem. In Majorum igitur ſuorum laudandas imagines atqve præclaram imitationem defixus unicam hanc curam animo ſuo volvebat, qvo pacto ipſorum nomen ac gloriam non obſcurare, ſed exoptatò adæqvare, imò, ſi ſuperi annuerent, augere tandem atqve amplificare valeret, ne alienis tantummodo ſe plumis ornare, atqve Avorum ſatrem incumbere famæ videretur. Hinc ſummo ardore Muſis ſe devovere occepit, poſitisq́, domi auſpicatiſſimis felicioris ſuæ indolis ac melioris genii tyrocinis, jam ante viginti Annos ad ſacra hæc tranſit Muſarum

noſtra-

noſtrarum delubra; cuiq; omni obſequentiſſimo cultu, & nunqvam ſatis laudanda diligentia, venerari aggreſſus fuit, varia indies ipſi optimi cujusqve exempli incitamenta præbente Magno ipſius Avunculo, Nobiliſſimo Viro, Johanne Mulenio Regio qvondam in Supremo Tribunali, & Collegio Cameræ Aſſeſſore, cujus hoc hoſpitio fruens, laudabilem triennii moram tranſegit, ut in Theologia, Philoſophia, Philologia atqve Matheſi fundamentis probè ſubſtructis, Nobiliſſimæ illius Artis myſteria ex voto indagaret, cujus Majeſtate in orbe haud qvicqvã auguſtius eſſe poteſt, qvæq; ſola, in ſervandis mortalibus, cum Superis qvaſi certare videtur, uſq; à morborum mortiſq; inſidiis tutandis glorioſo conatu invigilare. Impellente igitur eum naturæ genio, invitâ haud qvaqvam Minervâ, Æſculapio ſacramentum dixit, ejusq; ſacra adivit, prælucente ipſi tum Nobiliſſimo, nunc Beatiſſimo Viro, D. Thoma Bartholino, in Supremo qvondam Regni Tribunali Aſſeſſore Graviſſimo, Profeſſore Honorario & Facultatis Medicæ Decano, Fratre noſtro eheu deſideratiſſimo, qvem Hafniacæ noſtræ Muſæ, una cum univerſo orbe literato, ambitioſè adeò olim coluerunt, cujusq; celeberrimorum Nomen tot victuris æternùm monumentis immortalitati jam dudum conſecratum ſeri qvoq; poſterorum noſtrorũ Nepotes perpetuo

cultu venerari neqvaqvam cessabunt. Hunc magnum Virum, velut Doctorum nostri ævi facilè Aqvilam, venerabundus secutus fuit HANNÆUS noster, ejusq; auspicatissimo ductu generosus hic pullus fulgentissimum illud medendi Artis jubar haud nictantibus oculis ferre assuevit. Inde Pæonius hisce sacris studiosè hirare pergenti facem ulteriùs commodârunt, grandævus ille Senex, Cœlitum qvi modò ante paucos Annos numerum adauxit, D. Simon Paulli Celeberrimus ille Regum Daniæ Archiater, aliiq; Academiæ & Urbis nostræ Experientissimi Machaones. Summa hac ratione studio ac industriâ illam pro alienæ vitæ salute exsugendi scientiam sectatus id sedulò cavit, ne qvid ipsi unqvam temporis deperiret, qvod non inter exactiora Artis hujus experimenta consumeretur; atqve ita in Stadio hoc Medico laudabiliter decurrens, qvamplurimis hactenus, non sine laude summa, innotuit Magnis Divæ Hygieiæ Antistitibus, tam intra, qvam extra Patriæ oras, Nobilissimus, Bartholinis, Borrichio, Jacobæo, Grubio, Volckamero, Hannemanno, Wedelio, aliisq;, cum qvibus sanctam etiamnum amicitiam, & sacra literarum commercia colit. Interea verò publico destinatus Anno M. DC LXVIII, Scholæ Patriæ Con-Rectoræ præfectus est, Annoq; seqventi Supremam reportavit Philosophicam Lauream, Anno vero deinde

inde LXXIII, Ethices & Eloqventiæ in Othinienſi Gymnaſio Regio Profeſſioni præeſſe cœpit, poſt ſeptennium elapſum, Clariſſimo Viro, Virtico ſimul ac Socero ſuo, b. m. M. Georgio Bartholini Tauſcovio, dignisſimum daturus Succeſſorem. qvam Spartam, Praxi Medica felicirer comitatam, ecram nunc hodie non inglorius ornat, ipſiſſimæ ſimul Illuſtri Academiæ Naturæ Curioſorum non ita pridem adſociatus Collega. Ita per illam, qvæ unicè Regia eſt, laboris ac induſtriæ viam, ad Honoris ac Gloriæ culmen *Clariſſimus* HANNÆUS continuo niſu contendit, metamq́, ſuam, qvò tot Annorum aſſiduæ curæ tetenderunt, ex animi ſententia nunc eum contigiſſe, dies craſtinus publico oſtender; ubi eum, poſt habitos, præteritis diebus, cum Celeberrimis noſtris Æſculapii Myſtis privatim ſermones, nec non Doctiſſimam de Asthma Diſſertationẽ, publicæ Literati Orbis Cenſuræ expoſitam, & nervosè pariter ac glorioſè propugnatam, in auguſtũ Honoris Delubrum, ob præclaræ ipſius Virtutis ac egregiæ Eruditionis merita, translatum conſpiciemus, qvo in loco votorum ſuorum complementum, & ſudorum vigiliarumq́; præmium, lætanti animo reportabit, Supremam nempe in Arte Medica Laurcam. qvam, de poteſtate à Sacra Regia Majeſtate ſibi ad id clementiſſimè indultâ, certiores facti *ab Illuſtriſſimo ac Excellentiſſimo Heros*,

Dn.

DN. FRIDERICO, *Comite ab* AHLEFELD, *Langeland & Rixingen, Barone in Mærsburg, Gravenstein, utriusq; Seegardiæ, Balgardiæ & Wiltmusi Domino, Ordinis Elephantini Equite, Sacræ Regiæ Majestatis Daniæ & Norvegiæ Cancellario Magno, Consiliario Intimo, Status & Provinciali, in Collegio Status & Cancellariæ Præside, nec non Regio Gubernatore & Præfecto Steinburgi atq; in Dithmarsia Australi, Patrono Academiæ gratiosissimo*, Patres Academici, per Virum Nobilissimum & Clarissimum, D. CASPARUM BARTHOLINUM, Medicinæ, Anatomes, ac Physices Professorem Regium, Eruditissimo ipsius Capiti solenniter imponere decreverunt. Sacris hisce Academicis ornandis frequentem suam præsentiam commodare dignentur Optimi & Clarissimi quique, gratulatione sua atque applausu Novo Salutis Corporum humanorum Antistiti assurrecturi, omnemq; porro prosperum fortunæ cursum ipsi apprecaturi, ut cœlesti subnixus favore, atque ope adjutus, conclamata ferè corpora sævitiæ Parcarùm Artis suæ dexteritate indies subtrahere valeat, Divaq; Salus, & ipsum, & quoscunque ægros invisere cupit, perpetuo respicere velit.

Hafniæ, die VI. Maij. Anno M DC LXXXIV.

Sub Officii nostri & Facultatis Medicæ Sigillis.

GEORGII HANNÆI APHONOLOGIA.

TAm providô consiliô, tam sollicitâ curâ, totam humani corporis fabricam absolvit summus rerum omnium Architectus; ut nihil ad ejus concinnitudinem, nihil ad ejus necessitudinem, deesse voluerit, qvi in singulis membris æternæ sapientiæ suæ, reliqvit vestigia. Lustremus exteriora Organa! scrutemur interiora viscera! profectò, nullum Apollinis adeò verum esse responsum deprehendemus, qvam certum est hoc maximi illius gentium præconis effatum, 1. Corinth. 12. v. 18: Ὁ θεὸς ἔθετο τὰ μέλη, ἓν ἕκαστον αὐτῶν ἐν τῷ σώματι, καθὼς ἠθέλησεν. v. 21 οὐ δύναμαι δὲ ὀφθαλμὸς εἰπεῖν τῇ χειρί, χρείαν σου οὐκ ἔχω· ἢ πάλιν ἡ κεφαλὴ τοῖς ποσί, χρείαν ὑμῶν οὐκ ἔχω &c. Ego nolo membra corporis inter se committere, qvasi de palma certatura; nolo huic vel illi patronus contra cætera existere, ne lites ex limbus fetam. sed alius, hac tradita lampade, (qvos animat excitatior spiritus,

qvos nutrit abundantius otium,) Lingvarium modò excutiam, *Lingvam* ita producturus in scenam, ut hæc, cum obstinatiùs tacuerit, concionetur clamosior, qvàm triste malum sit

APHONIA.

CAPUT I.

De

DEFINITIONE NOMINALI.

TErreat nos, vel solum Nomen, nam horridula fronte, qvævis, in recessu metuenda, obscævat! cum feralem nuncium ipsa ipsius apportet: I. *Etymologia*: qvæ, APHONIAM dici docet, ab A, privativo, & φωνὴ, vox, sonus, lingvâ. Nec facilius fuit Cordubensi Philosopho, è difficili janua potentem interpretari dominum; qvam nobis, ex hac omnosa Etymologia, horrendos prædicere effectus. Dum enim facit, ut intercipiatur φωνὴ remittit nos, qvasi indice digito, ad originis suæ radicem, φάω, dico, luceo, occido. qvasi in ipso aditu, de sua testatura adytis. In qvibus, ubi sermo perierit, disparuerit vox, φῶς τῆς, non tantùm occidioni destinatis, sed, vel occisissimis potiùs, Lingvâ miserè afflictum annumerat.

Neqve

Neqve tranqvilliora promittit halcyonia.

2. *Synonymia.* *Hebræis* dicitur: אלם, ab אלם, mutus redditus fuit, vel, ligavit cum videlicet Lingva, nervis eam moventibus obstructis, ita ligatur & impeditur, ut loqvi non possit. *Arabibus* בכמה, & תבכים, nuncupatur, à בכם mutorum more tacuit. *Chaldæis* salutatur: פחש, à פחש, tacuit, loqvi cessavit. A *Græcis*, vocatur: Ἀφωνία, Ἀγλωττία, Ἀλαλία, Ἐπίσχεσις. *Danis*, nuncupatur: Maalelusheb. Germanus: Sprachlosigkeit. *Latinis*, nominatur: *Obmutescentia, Vocis interceptio, Lingvæ paralysis*, aliis *Lingvæ Obligatio*, imò & qvibusdam, *Mutitas* vel, a μῦ, minima illa syllaba, in qvam resolvuntur, qvi cum Ancylogloſſo conflictantur, vel, à *Muta*, Dea, (de qva commodè dixit *Lactantius*, *lib. 1. de falſa Relig. p. 110*: qvis, cum audiat Deam Mutam, tenere risum qveat? qvid præstare colenti potest, qvæ loqvi non potest?) Larium è Mercurio Matre, qvæ, Lara qvoqve dicta est, & Larunda. Hæc, teste *Gyraldo Hist. Deor. Syntagm. XV. p. 423.* Nympha fuit Tiberiona, cui à Jove Lingva abscisſa est, qvod Juturnæ atqve Jovis furtivos amores Junoni indicasset. Sic fidem faciente Sulmonensi Vate:

Jupiter immodico Juturnæ captus amore,
Multa tulit tanto non patienda Deo. &c.
Forte fuit Nais Lar nomine, prima sed illi
Dicta bis antiqvum syllaba nomen erat, &c.
Illa etiam Junonem adiit, miserataq́, nupras:
Najada Juturnam Vir tuus, inqvit, amat!
Jupiter intumuit; qváq; est non usa modestè,
Eripit huic Lingvam Mercuriumq; vocat:
Duc hanc ad Manes! locus ille silentibus aptus
Nympha, sed infernæ Nympha paludis eris.

Non tamen suo cultu, suis sacrificiis caruit, licet ad orcum damnata, *Muta.* cui Feralibus litatum est sacrificiis, auctoritate *Dempsteri, Antiqvit: Rom. lib 4. p. 564.* Cui compitalia sacra *Kippingus* deferens, *Antiqvit: Rom lib. 1 pag. 190.* Ordinaverat, inqvit, illa Tarqvinius Superbus, & cædebatur puer pro victima. Verùm Junius Brutus, Consul, Tarqvinió pulsô, aliter constituit. nam huc capitibus Allii & Papaveris supplicari jussit, ut responso Apollinis satisfieret de nomine capitum; remoto scilicet scelere infaustæ sacrificationis, videatur *Macrobius, Saturnal. lib. 1. cap 7. p. 189.*

Ita,

Ita, actis qvasi in exsilium læuoribus omnibus, APHONIAM urgent ubivis tristiora omina! à qvibus nec ipsam liberaverit: 3. *Homonymia*. Accipitur qvippe, in foro Medico: vel, *Stricte*. pro ipsissima ἀφωνίᾳ in qva vox, omni ex parte, perit; dicturq; *Totalis* vel, *Latè*, pro ἀναρθρίᾳ, in qva, solus sermo intercipitur; & vocatur *Partialis*. (utramqve hanc, non hominibus solùm molestam esse, sed & alia animantia occupare posse, contra Peripatum, defendit Zacchias, Qvæst. Medico-Legal. *lib. 2. p. 701*) uel, *Latissimè* sumitur, pro qvalibet vocis depravatione. qvales sunt: ἰσχνοφωνία, vocis exilitas; τραυλότης, blæsitas; ψελλότης, balbunes; δυσλαλιαὶ, hæsitantia Linguæ; cui nomen dedit Battus, Cirni, Regis insulæ Theramenis, filius. hic satis diu mutus, cum in Africa, jussu Oraculi Delphici, Cyrenen Urbem conderet, Linguæ nodis solutis, loqvi primum cœpit, monente *Justino*, *lib. 13. cap 7. p. 240.*

Propylæum patet! nec est, qvod per apertam januam pedem promoveamus tatchuscule, ultra calcatum limen acturi:

CAP. II.

De DEFINITIONE REALI.

APHONIA, *est repentina & inopinata sermonis vocisq; interceptio, à vitio Instrumentorum, sermoni & voci inservientium, orta.*

Qvodsi ad tribunal Logicum hæc trahatur *Definitio*, pendet, etiam ne tantillum coacta, loco tributi, *Genus & Differentiam.*

Generis loco stat *Interceptio*, sc: *sermonis*, (qvæ frequentior est, & hoc potissimum expendenda,) *vocisve*, (qvæ rarius aliqvantò affligit,) *repentina & inopinata.* Unde non obscurè patet malignus insidiosi hostis genius!

Differentiam mutuamur à Subjecto inhæsionis, qvod varium est, & multiplex. licet illud, remotiùs vapulet; hoc, proximiùs. Cum enim spiculis APHONIÆ nocivis, *& sermoni & voci inservientia* petantur *Instrumenta*; nullum ipsorum extra teli jactum immune posuimus, ne obduceretur nobis crimen insufficientis partium enumerationis.

Lin-

Lingvam, pro ſolo & unico ſermonis organo, venerantur mortalium plurimi, ſed rerum Anatomicarum ignari. circumſpectiùs judicant illi, qvibus cognita eſt Viſcerum harmonia naturalis. Eſt eqvidem Lingva membrum illud, qvô animi noſtri exprimimus ſenſa, & cujus ſuffâmen altiſſimum expiat ſilentium. Unde qvoqve Juſtinus APHONIAM Batti (de qvo ſupra, Cap. 1,) Lingvæ Obligationem nuncupat. Nihilo tamen ſecius plura habet organa, utriusqve fortunæ ſuæ ſocia. ſive, hæc libera, tectis triumphet lateribus; ſive, ligata, in captiviratis trahatur ergaſtulum.

Audiamus *Nobiliſſimum Borrichium, redivivum Danæ noſtræ Æſculapium, Fautorem & Amicum meum, cum Excellentiæ nota ſemper memorandum, in Doctiſſima ſua de Cauſis Diverſitatis Linguarum Diſſertatione*, pag. 6. hæc ſatis accuratè ſic recenſentem: *Loqvendi inſtrumenta ordinaria ſunt, Pulmones, Thorax, Arteria trachea, Nervi, Larynx*, tot muſculis, tot cartilaginibus comitata, *Os, Lingva, Labia*, præcipue *Glottis*, tubulusq; ſingularis membranaceus. Huic tanto Podabrio commodè ſubjungi poſſunt, *Doctiſſimus Fernelius, Medic. Univers. Tom. 2. p. 190. Clariſſimus Horſtius de Natura. Hum. p. 220. Celeberrimus Frommannus*,

Tract.

Tract. de Fascinat. p. 131. Experientissimus Sennertus, Oper. Med. Tom. 2. p. 461.

Tanto voluit natura uti apparatu in adornandis humanæ loqvelæ instrumentis. qvæ, si in aciem, per cohortes distributa, prodire jussa fuerint; singula suo fungi officio, & sociam tamen symbolam, ordine decentissimo, universa conferre, patebit manifestissimè.

Primum naturæ molimen versatur circa aerem, pro voce formanda, effiandum, qvem concitatus commodat *Pulmo*, compressis qvoqve pectoralibus musculis & intercostalibus. Nisi forsan malimus, cum *Excellentissimo Hannemanno, Kiloniensis Academiæ delicio, & claro Medicinæ ornamento, magno Amico meo*, motum *Pulmoni* detractum attribuere *Diaphragmati*; qvam sententiam in qvadam suarum, qvas ad me dedit, *doctissimarum Epistolarum*, ita proponit: *Diaphragma musculus est, inspirationi & exspirationi inserviens, qvi & ipsos movetat Pulmones. Pulmones, omni sensu destituti, nullam se movendi habent facultatem.* Cui sententiæ suum qvoqve addit calculum, *maximus Præceptor meus, & verus Medicorum Apollo, Divus Bartholinus: tenendum*, inqvit, *Pulmonem licet respirationi suæ sit, non tamen agendo, sed pa-*

tien-

tiendō. Nullam enim propriam movendi vim habet. Organis quoque motus proprius destituitur. Cessatq; ejus motus, Thorace & Diaphragmate cessante Anatom. Renovat. p. 424. Et idem qvoqve sentit *Parisanus*, in suo *de Diaphragmate Lapide Lydio.*

Aer propulsus, per Arteriam tracheam, ad Laryngis Glottidem, Epiglottide munitam, tot Musculis adjuvantibus & Nervis, in Oris eluctatur cavitatem, ubi Lingua, simplicem vocem frangens, voces articulatas, ipsumq, sermonem, artificiosissimè format.

Graphicè hæc omnia, ad similitudinem Organi Pnevmatici, sic exegit, incrementis Medicinæ destinatus, *Experientissimus Wedelius, Jenensis Academiæ decus:* sermo eget sono, sermonis idem quod vocis organum. Pulmones, sunt qvasi folles, & Organon musicum in microcosmo regunt. Lingva, plectrum est, Aspera Arteria, instar fistulæ sonoræ, cujus principium, rimula laryngis, seu Glottis, spiritum è folle emittit, aerem scindit & collidit, adeóq, proximum vocis humanæ, & sermonis, instrumentum est Impellens verò primum, est ratio; ministrans, Spiritus Animalis & Nervi. Hinc muti & aphoni fiunt ob læsos Nervos, inprimis recurrentes, & tertii vel qvarti paris. *Physiolog. Medic. p. 320.*

His ritè præmissis sollicitu nunc erimus de APHONIÆ *Causarum*, tam *Remotarum*, qvàm *Proximarum*, cognitione, ceu uberiore morbi explo-ratione. Cùm, scire, sit res per Causas cognoscere.

CAP. III.

De

CAUSIS REMOTIS.

AD APHONIÆ *Causas Remotas*, concurrunt: *Res* I. *Naturales*. II. *Non-Naturales*. III. *Præter-Naturales*. IV. *Super-Naturales*. De singulis pauca, & qvantum instituti nostri reqvirit ratio.

I. *Naturalibus* annumerantur: 1, *Temperamentum*. 2, *Ætas*. 3, *Sexus*. 4, *Corporis habitus*. 5, *Vitæ genus*.

1. Multa, fateor, occurrunt, qvæ in doctrinam *Temperamentorum* dici poterant; verùm, his ego nunc non utar, nè forte circa commotam Anagyrim diutius hæream, sufficerit monuisse. *Temperamentum* illud, qvod, ex recepta loqvendi consvetu-

ſvetudine, *Pituitoſum* vocatur, APHONIÆ gymnaſium præbere cum, ſcilicet, ſanguinis veri vitæ noſtræ balſami, particulæ ſulphureæ ita à ſeri obtunduntur profluente, ut inde ignavo Cerebrum qvaſi congelet frigore.

2. Qvod ſi huic malo expoſitas luſtrare velimus *Ætates*; vapulabit potiſſimum *Puerilis* humidior, & *Senilis* frigidior *Ætas*, qvamvis cœteræ nec ſartisubiqve triumphent lateribus. Id qvod & ipſemet ſæpius deprehendi, qvi non paucorum, cujuslibet ætatis, fugientem Loqvelam, fortunante Numine, poſtliminio revocavi.

3. Ire placet per *Sexus*? de immunitatis privilegio gloriabitur neuter! præ altero, tamen ſibi metuet ab hoc cenſu, ad tot Morboniæ damnatus moleſtias, *Sequior Sexus*, ceu virili & humidior, & frigidior.

4. *Corporis habitus*, & *juſtò rarior*, & *denſior juſtò*, hoc accuſari meretur. *Prior*; qvia externis, facile patet injuriis. *Poſterior*; qvia inſenſibili occluſa tranſpiratione, intra poros obſeratos, Archeo inimicas recondit fuligines, qvas ociùs amoliviſſet fructuoſius.

5. *Vitæ genus* ſi inſpiciatur penitiùs, uti-

qve hos mortalium his, alios alios assignat morbis, tanqvam certo qvodam fatorum arbitrio. Atqve ita: *Phthisi, Aurifabros; Cæcitati, Pictores; Fabros, Surditati; Molitores Asthmati; Podagræ, Fullones, Paralysi cerarum, Textores; destinatos jurares.* Ita suos qviqve patimur manes, patimur morbos; ut fatus certo non constet, uter infelicium, altero felicior habendus sit. Neqve nos, *qvi doctus impalleſcimus chartis*, indotatos dimittit Libitina nobis, tanqvam jure hæreditario possidendos, reliqvit: *Catarrhos, Hypochondriacum malum, Calculos, Arthritidem, Scorbutum, Lassitudinem*, imò, & magno illi Fracastorio fatalem APHONIAM, aliaqve tum externorum, quam internorum, sensuum pernitiosa symptomata.

II. Pergamus modò ad *Res Non-Naturales*, a Medicis ita dictas, qvod sint qvasi mediæ, inter Naturales, seu constituentes, & Præternaturales, seu destruentes. qvales sunt: 1, *Aër.* 2, *Cibus & Potus.* 3, *Motus & Qvies.* 4, *Excreta & Retenta.* 5, *Somnus & Vigilia.* 6, *Pathemata Animi.*

1. Qvis modò tutus erit? cum audiat sibi mi-

nuen-

tuendum ab *Aëre!* qvi eò potentiùs nocere poteſt, qvò latiora dominandi accepit pomœria. Eget ſemper hoc tanto ſuſcitabulo noſtrum vitale βιοῦχον, pro conſervanda flammula ſua, ceu igne perpetuo, in ara Cordis perennè micante. Nocet autem hic præpimus ſua cùm ἀκρασίᾳ, tum μείξει *frigidus & humidus*, utpote ſeroſos adaugens humores, & nativum Sulphur compeſcens. Unde, ſi vel pari, cum *Excellentiſſimo Scholtzio*, dicere non audeamus confidentiâ: *Mulieres, qvæ in navibus pariunt, Muſtos edunt! Aphoriſm. Medicin. 1241 Sect. 7 p. 392.* Aſſerere tamen non erubeſcimus, *ſine meticuloſa APHONIÆ exſpectatione non vivere illos, qvorum primos vagitus excepit Neptunus, natalium conſcius.* Imo ſi *Aëri* tantum attribuit ut *Celeberr. Pet. à Caſtro*, ut exploſorum ſtrepitum tormentorum APHONIAM cauſare, mutosque reddere poſſe, aſſerat, *Miſcell. Cur. Acad Nat. Cur. Tom. I. p. 112.* qvid non molietur monſtri, ubi, vel Atmoſphæram turbaverint impetuoſius aquilonares venti? (*cujus ſcenæ præludium, Ante Annos aliqvot, de di, de Cephalalgia Ἀνεμοτρόπῳ locutus, in Actis Medicis Hafniens. Volum. 3. p. 109.*) Aut, ubi ſocia hic junxerit

xerit arma sidereus exercitus? Credamus *in Uranoscopia exercitatissimo Garceo*: Cùm, inqvit, de Lingvæ dispositione pronunciandum est, considera statum Mercurii & Saturni, &c. Mercurius enim Lingvæ & orationi præsidet. hinc, a Saturno & Sole afflictus, accedentibus Lunæ noxiis radiis, Lingvæ malum habitum tribuit; &, aut omnino Mutum, aut impeditæ Lingvæ hominem decernit, maximè, si constituerus, in ♈, ♋, ♏ & ♓, qvæ signa dicuntur muta, & voce carentia. *de Judicio Genituar. p 308.* Et hæc omnia, qvasi conceptis testabuntur verbis, duo, in superis domibus qvam optimè versari, Atlantes, *subtilissimus Cardanus, Comment. in Ptolem. de Astror. judiciis, Lib. 3 pag. 303. & politissimus Campanella, Astrolog. lib. 4 Cap Art. 7 p. 42.*

2. Offerunt se *Cibus & Potus*, qvos, alimenta vocamus. Circa hæc autem peccatur enormiùs, qvam intra & extra muros Iliacos. tot enim cupedialis, tot sorbillis suæ gulæ ambitus frenant callidi isti obsoniorum arbitri, & erudituli vinorum censores; ut, qvicqvid avium volitat, qvicqvid piscium natat, qvicqvid ferarum discurrit, qvicqvid stillat Lyæi laticis, suis sepeliant ventribus, ignari prorsus, se proprius qvadrigis cursim rapi

rapi ad carnificem. Sed desino hanc movere Camarinam! ne remoram injiciant Luculli deliciæ, Frugalitatis limam reformidantes asperiorem. Non etenim nunc animus est, vel edacibus Vitellianam invertere patinam; vel bibacibus Herculeum extorqvere poculum. Habeant, per me, has suas delicias, qvas vita æstimant, morte aliqvandò redempturi! vescantur his carduis suis eò ambitiosiùs, qvò spem impunitatis sibi promittunt audentiùs! modò & mihi permiserint breviter monstrasse, hac, ceu regiâ viâ, ad ipsissimam grassari APHONIAM. Dum enim hi qvævis esculenta & potulenta, qvæ sors obtulerit, hiante devorant rictu, qvasi æternum dapinaturi cibum; fieri non potest, qvin utriusqve peccent *& qvantitate & qvalitate*. *Qvantitate* nocent egregiè, præter modum ingesta, κακόχυμα, prioribûs nondum digestis. unde Ventriculi temperies obruitur, chylus corrumpitur; nidoribus fœtæ cumulantur cruditates, maximô totius œconomiæ naturalis detrimentô. Qvid mirum ergo, si asoti isti, etiam ad *columbulos* nauseantes & *passerculos*, promiores sint, non tantùm ad vomitandum in proprio sinu, sed & ad evomendum in famam bonorum nigrans calumniæ virus?

Qva-

Qualitate nocent, *assumpta*, & *frigida* nimis, & *calida* nimis, nam in utraqve hac palæstra nimiopere delassatur generis nervosi prosapia. Atqve ita nemo erit, qvi non videat hos, vota diurna nocturnaq; vota Educæ debentes & Potinæ, ab APHONIA propiùs abesse; qvam ille Sacerdos, qvem, in convivio, solò calentium Cancrorum odore, per aliqvod tempus, obmutuisse testatur *Experientiss. Hertodius*, *Miscell. Curios. Acad. Nat. Curios Tom. 2. pag. 229.*

3. Deducit nos semita, tanqvam leni clivo, ad *Motum* & *Qvietem*; sine qvibus non possumus vivere commodiùs, qvàm cum dolabra piscaris qvod si autem debitus utriusqve non observetur modus, obducentur densatiora morborum peripetasmata. Heic verò damnifica est & *Motus & Qvietis nimietas*. *Qvies* immoderata corpus refrigerat, pituitam adauget, meatus obstruit, humores vel in vappam cogit vel in amuream, unde APHONIÆ, imò Apoplexiæ & Epilepsiæ panditur porta, viaq; plurimus sternitur incommodis, qvæ videri possunt, in, *Cultissimi Qvercetani Diætet. Polyhistor. p.* 257. Neqve minus mdemnis est *Motus* nimius; nam omne nimium naturæ inimu-

inimicum est. Ideoqve infami Salmoneo sua relinqvenda est temeritas; qvâ, crebriore cursus super æneo ponte agitatione, percursantia mundi superiora æmulari ausus est, tonitrua. Cum, vel minimam currus agitationem etiam APHONIAM causare posse, statuat *Doctiss. Petrus à Castro, Miscell. Curios. Acad Nat. Cur. Tom. I. p. 118.*

4. Ad ignobiliora nunc provolvimur reqvisita naturæ, acturi, sic ordine jubente, *de Excretis & Retentis.* Videbimur forsan imperitis, ab eqvo descendisse ad asinum, dum circa eluvies hætenus Verùm, sine levissima turpitudinis nota, hoc agunt animosiùs Medici; indignum æstimantes, omnem iis honorem detrahere, qvibus usus constat maximus. Conservatur intra limites divæ Hygieiæ quam pulcherrimè corpus humanum; si retinentur alendô utilia, inutilia modô excernantur, debitô. ubi autem in vetitum ruunt τὰ ἀκριβῶτα τῆς Φύσεως; collabascit actutum amanda sanitas, ceu foribus nostris facessere jussa. Qvod ergo in mure pusillo laudavit Plautus, eum se uni cubili ætatem nunqvam committere suam, sed si unum obsideatur, alibi perfugium qværere id in Natura, matre almâ, murari licet, aliis atqve aliis vîs, suas exonerante

feces. Ne illuvie æternisq; sordibus sqvalidum nostrum fœteret corpus, varia nobis finxit incrementula, novitor, emunctoria dicta, per qvæ eluviari possunt humores, sponraneo jam tum destinati exilio. Qvid, qvod &, per diversas vias abeuntium, diversum, qvo induti incedunt, cultum, non satis mirari licet! Per *Aures*, *cerumen*; *granular*, per *Oculos*; per *Nares*, *mucum*; *salivam*, per *Os*; per *Vesicam*, *confecti potus residuum*, *reliqvias cibi consumpti*: per *Inferius guttur*, deponit. His *Retentis*, nutat sanitas, & reclini similis contremiscit pavidiùs, qvàm, si ferox infremeret Hannibal ante portas. Nec turbas hoic, (si, vel dispensentur parciùs, vel, si recondantur tenaciùs,) movent illa solùm, qvæ rutò dimittimus, *Excreta*, sed & ea suppressa, qvæ jam fundi consveverunt, licet cum sanitatis dispendio. Sic è *retenta Gonorrhœa virulenta*, APHONIAM ortam docet, ex Zacuto, *Celeberr: Waltherus*, *Syst. Medic. p. 1068.*

5. Valeant nunc suis defuncti muneribus, & è consortio utiliorum jam tum eliminandi, humores! cum instent *Somnus & Vigilia*, non tenuissimam utriq; huc conferentes symbolam. Qvod si de

si de *Somno* poetari vellemus; haberemus ipsius *parentes, Erebum, & Noctem*, è *Boccatio, lib. 1. de Genealog. Deor. p. 14.* ipsius *habitum pennigerum*, è *Tibullo, lib. 2. Eleg 1.*

Postq; venit tacitus, sulvis circumdatus alis,
Somnus, & incerto Somnia nigra pede.

Invitaremur ad ipsius *domum*, ab *Ovidio* egregiè descriptam *Fab. 10. Lib. XI. Metamorph.* nec prius evigilaremus qvam ad ipsam *Insulam Somniorum* nos deduxisset *Lucianus, Ver. Histor. lib. 2. p. 505. seqv.* sylva papaverea; flumine, Nyctiporo, fontibus, Negrero & Pannychia; portis, ferrea, testa constructa, cornea, & eburnea; templo Noctis; somni regia; Impostura & Veritatis, superbientem, delubris. Ast satiùs esset & fructuosiùs, de *Somno & Vigilia* philosophari cum Medicis. Verùm, & hoc supersedemus labore, Iliada post tantos non scripturi Homeros; occupati qvippe fuerunt circa hoc negotium feliciter satis, *Ingeniosiss. Willisius, Experientiss. Wedelius*, &, qvi cumulum addidit novissimè, *Nobiliss. Borrichius.* Summa nunc esto: *Oppido hoc nocent immoderatus Somnus, immoderata Vigiliæ.* astipulante divino *Sene* nostro, *lib. 1. Aphor. 3.* De qvibus legi

legi etiam negretur *Doctissimus Horstius, de Sanct. quenda lib. 1. cap 9.*

6 Claudunt *Rerum Non-Naturalium* agmen *Pathemata Animi*, eademq; Danistis usurariis nocentiora. Ne verò longiùs foret ire per singula, pauca libabimus; ut dignoscatur è fimbria, rectus, Leo ex ungve. Qvantas *Terror* moverit in APHONIÆ arena turbas, vidit *Experientissimus Brechtfeldius* in filiola Mercatoris Hildesiensis, qvæ ex *terrore* in APHONIAM incidit & omnimodam loqvelæ voeisq; suppressionem, *Act. Medic. Hafn. Vol. 1. p. 193.* Qvod in *Amore* oculi sæpiùs Lingvam præcidant, *Plauto* non incognitum fuit. *Mil. Glor. Act. 4. Sc. 6. v. 55.* Qvæ verba Plautina dum explicat *Lipsius*, in *amore*, inqvit, cum oculi cupidè qvod amant, intuentur, non solùm mens, sed etiam Lingva obbrutescit, ita fit, ut qvasi præcipi & præcidi verba ab aspectu videantur, *Antiqv. Lect. lib. 1. cap. 13.* Neqve solùm præsentibus suis Glycerius APHONIÆ pœnam dederunt petuleі nonnulli amasiis, sed & Thaidum suarum absentiam, nimis molestam, ulti sunt eodem ali lascivibundi supplicio, qvod patet è *Celeberrimi Schultzii* historia, de

APHO-

APHONIA cujusdam studiosi, ex occulto amore, *Miscell. Curios Acad Nat. Curios Tom V 187.* Qvam properè Lingvam ad compedes APHONIÆ deducat *Ira*, sensit olim Nautimenis uxor qvæ, cum filii ac filiæ stupro intervenisset, inopinata monstri perculsa conspectu, & in præsens tempus, ad indignandum, & in posterum ad loqvendum, obmutuit, teste *Valer. Maxim. l. 1. c 8.* Nec opus habeo exemplum mutuari a *fœmina Atheniensi*, qvi in *Mercatore Othinensi*, ante qvinqvennium, eosdem & vidi & compescui tumultus. Hic, circa vesperam, *Ira* fervens, lectum petit, sed frigidissimum. mox autem in vomitum resoluto, (licet egerenda rejicere non posset) præcludebatur & *sermonis & rationis* usus. Ego, non ante tertium vocatus diem, rem malam observo, spemq; multò asperiorem concipiens, *Delirium* urgentibus malis imminere prædico; qvod, circa vesperam atrociter ingruens, secum tandem, post aliqvot septimanas, tristia rerum omnium trahit *Oblivia*. Tot syrtes inter & scopulos fluctuabat misellus, suis ipse malis indormiens. Extant tamen Mercatorem salvum, clementiâ superûm, eumq; (nunc hoc, nunc illud, hydræ istius lernææ decutiens caput,) in vado stare, hodienum salvum & vegetum.

III. Con-

III. Convertamus nos ad *Res Præter-Naturales*, visuri, à qvibus Morbis immineat subinde mortalibus APHONIÆ periculum.

Cerebrum, est viscerum nostrorum excelsissimum, & Capitis cœlo proximum. Hanc habent Sensus nobiliores arcem. In hoc culmine altissimo est regia mentis, è throno hoc suo concionaturæ frequentiùs, qvàm olim Apollo è tripode. Ecqvis autem ignorat à *Cerebro* sæpiùs gravissimum APHONIÆ imperari tributum? Hinc, è *meningibus sideratis*, & *inflammato Cerebro*, APHONIAM vidit fatalem *Doctissimus Henr. ab Heer*, *Observ. Med. l. 1. p. 170.* *Rumpatur* præterea *in Cerebro vas aliqvod!* mox Capitis cataclysmo sangvineo ipsissimâ parentabitur APHONIA, teste *Clarissimo Betalio Oper. Medic. & Chirurg. pag. 199.* Imò, *qvibus Cerebrum aliqva ex parte concussum fuerit, necesse est statim mutos fieri, inqvit venerandus Hippoc. lib. 7. Aphor. 58.* item, *de Morbis, lib. 1. § 15.* Cujus Aphorismi documentum mihi dedit satis luculentum, ante octo Annos, *Pastor Clarissimus*, qvi in cellam per scalas præcipitanter decidens, deartuatum retulisset collum, ni molliusculi Angelorum inhibuissent

sent

sent amplexus. Neqve tamen APHONIAM evitare potuit. *concussi Cerebri spolium*; licet occulti laticis reseratæ venulæ, per alteram aurem apertum evergerent sangvinis rivum. qvibus φαντασίαις ego, actutum vocatus, expallui notabiliter, cum præ luctu rota inhorresceret familia. Exotavi tamen, ad tumulum properantia, fata, ut Parcas à religiosissimo hoc arcerent capite; exorata, non infractam modò loqvelam, sed & integram optimo Vito reddidere sanitatem.

Collum, dextra parte (qvæ Nervos habet sexti paris) tumidum, APHONIAM causavit. cui medicinam fecit feliciter *Experientiss. Mónnichenius, Act. Medic. Hafn. Vol. 1. p. 16. conf. p 170.* Ut brevitati nunc studens, nihil loqvar de Viris Nervorum tertiæ & septimæ conjugationis, à qvibus APHONIAM meritò deducunt, *Celeberrimus Theod. Schenckius, Medicin. Gener. Novo-antiqv. Synops Tom 1. p. 208.* & nomine atqve omine *Felix Platerus, Prax. Medic. Tom 1. p. 360.*

Crapula, gratissimum Diaboli balneum, non modò lingvas bibacum ad scommata neqviter armat ac lœdorias; sed & easdem, qvas diu exacuit, sæpiùs, hebetat miserè, APHONIA dignum effreno pessulum tandem obdente membro.

bro. Ad talem Bacchi muteſcentem Myſtam, ſe olim vocatum prodit *Experientiſſ. Thonerus*, *Obſerv. Medicin. lib. 2. p. 86.* Nec eſt, qvod pro deridiculo habeant ebrioſi, (qvibus, comitantibûs uvis, gratior hora fluit,) hunc perpetuæ taciturnitatis prodromum! cùm his vitam interminetur maximus noſter Cous, eosq; morituros prædicat convulſos, niſi aut eos corripuerit febris, aut, qvo ſolvitur tempore *crapula*, vox redierit *Aphor. 5. lib. 5.* Cavenda ſunt iraqve pertuſis bibulorum doliis inſubida hæc madentis gulæ oblectamenta, tanqvam laqvei & plagæ; ni harum, qvibus ſe manciparunt, ſvavitudinum ſuarum ineſcati mollitie, vel lingvam ſub APHONIÆ, vel corpus ſub mortis, ditionem redigere amaverint. Nam, ut cibi modicus eſt ſibi Medicus; ita, medicè vivit, qvi modicè bibit.

Lingua, proximus illud vallum eſt, unde ſuis detonat APHONIA machinis; neqve certius ferit deſtinatam ſibi metam, qvàm ubi Lingvam exceperit truculentior. Appetimr autem ab APHONIA, Lingva, non tantùm clandeſtinis inſidiis, de qvibus infra, *Capite IV*; ſed etiam apertis non rarò latrocinus. Hoc ſenſit, ſuô malô, infelix ille juvenis, qvem totam illam partem, qvâ ſin-

lingva volubilis est, detruncantes imnianes Turcæ, triennium silere jusserunt, teste *Amplis. Tulpio, Observ. Medic. lib. 1. p. 80.* Paulò benignùs actum est cum nobili illo puero; qvi, ubi ad radicem usqve computruerat lingva, obmutuit prorsus, referente *Clariss Horstio, Consil & Epist. Medicinal. lib. 3 p. 189.* Licet utriqve horum redierit tandem miraculo vicina, loqvela. Dum huic de integro renascceretur lingva. dum illi, terror fulminis, mutilam permanentem, excitaret lingvam.

E *Morbillis* natam APHONIAM abegit medendò *Excellentiss. Bierlingius. Adversar. Curios. p. 92.*

Strumam, (cui solo attactu mederi volunt Galliæ Reges & Angliæ,) in profundo sitam, excidit aliqvandò imprudens Chirurgus; verùm, ob ignorantiam, Recurrentes distrahens Nervos, puerulum qvidem à *struma* liberavit, sed, qvod calamitosius erat, *mutum* reddidit. extremam hanc ejus improbante vesaniam, *Galeno, lib. 1. de loc. affect. cap. 6.*

E *Variolis* ortam APHONIAM, in puella trium Annorum discussit *Curiosus Schubartus. Miscell. Curios. Acad. Nat. Curios. Tom. 2. p. 303.*

Venam in ventre ruptam, ceu causam APHONIÆ, incusat *Botallus*, in illustri quadam Matrona. qui, licet venam non viderit, sanguinis plurimum in ventris capacitate invenit. *Oper. Medic. Chirur p. 199.*

A *Syncope*, jure metuendum omnibus! Hæc etum, non pulsu modò ἀφωνίαν, sed & voci APHONIAM accelerat, monente *Clariss Riolano, Enchirid. Anatom. & Pathalog. lib. 3. p. 225.*

Tantum valent *Morbi veri*, ad accendendum APHONIÆ fomitem! (qui pluribus delectatur, adeat *Diligentissimum Schenckium*, *Observat. Medicin. Rarior. lib. 2. pag. 189. & Sagacissimum Bonetum, Anatom. Practic Tom I p. 309*) Monere tamen volumus *Simulationem* larvatam, quod quilibet abominetur, & huc aliquando irrepsisse. Cùm alii mutos se finxerint, ita ad internum os reduplicatâ atque contractâ lingvâ, ut, etiam diligenter intuenti, mutila esse videretur. de quibus legatur, *Fortunatus Fidelis*, *de Relation. Medicor. Lib. 2. p. 217.*

IV. Festini properemus ad *Res Super-Naturales*; quò spectant *Veneficia*, neque hic planè silentii involvenda conopeo. Non hodie,

non

non hepi, nec audius tetrius his sacris litari cœpit primulùm; verùm, si in hæc introspexerimus penitiùs, non immerentibus, sed locutuleis, lingulacis, & Osci asseclis impurioribus, ad contumelias omnium ingenuis murendas natis, destinabantur olim. Cerimonias novisse lepidum est, nec scitu indignum; qvas, rogatus, deteget *Naso* poëticæ promus condus medullæ, *Fastor. lib. 2. p. m. 38.*

Ecce anus in mediis residens annosa puellis,
Sacra facit TACITÆ, nec tamen ipsa tacet.
Et digitis tria thura tribus sub limine ponit,
Qva brevis occultum mus sibi fecit iter.
Tum cantata tenet cum plumbo licia fusco,
Et septem nigras versat in ore fabas.
Qvodq́, pice astrinxit, qvod acu trajecit ahena,
Obscurum menta torret in igne caput.
Vina qvoq́; instillat, vini qvodcunq́; relictum est,
Aut ipsa, aut comites, plus tamen ipsa bibit.
Hostiles lingvas, inimicaq́; vinximus ora!
Dicit, discedens; ebriaq́; exit anus.

Neqve olim tantùm, sed & multò post, freqventatum est hoc sacrum Magicum. Ipsemet qvippe *Paulus Marsus*, (qvi aliqvot post Ovidium secula vivens, à demortuo amplissimas meruit gratias,)

testatur aliqvoties se sæpum hoc peragi vidisse, & Rhodi, & in Chalcide, & in Hispali, eôdem, qvô à Poëta refertur, modô, optatis semper respondente eventu. Certè, profectò, dignissimi sunt hoc fulmine magico, isti calumniarum artifices, famæ bonorum non fures, sed trifures impuram, qvos genuit Mendacium, peperit Invidia, Curiositas educavit præpostera! remittendi propediem ad infame rostrum, ut gulâ suâ, in laqveûm inferta, ibi turpem sordidati canant palinodiam. At commodiorem, hercle, ora inimicorum vinciendi æstum, & liberali dignioremhomine, ab *elegantissimo Bustidio*, non grave erit discere; qvi, in ultima *Experientissimi Hertici*, *de Curation Gravid. Puerper. & Infant* cera, sic canit argutulè:

Qvâ ratione meos ulciscar, qværitis, hostes?
Expediam. ulciscî sic qvoqve disce tuos!
Incessunt; taceo. Culpant; fero. Crimina spargunt,
Dissimulo. Mordent; absqve dolore meo.
Obtrectant; sileo. Ringuntur, rideo. vulgo
Traducunt; panor. Dant mihi damna, sino.
Aspiciunt torvis oculis; ego comiter illos
Accipio. Turbant cuncta; qviete fruor.

Latrant;

Latrant; non moveor. Frendent; non curo.
Minantur;
Nil metuo. Torqvent labra, laboro nihil.
Exagitant; non exagitor. Vexant; neq; vexor.
Lædunt; nec lædor. *Probra refutat Honor!*
Insidias ponunt; vado. Repetunt caput; oro.
Pessima molitus, optima qvæqve precor.

CAP. IV.

De
CAUSIS PROXIMIS.

APHONIA *Causas Proximas* constituunt: 1, *Humores.* 2, *Spiritus.* 3, *Vapores.* 4, *Res toto genere præter naturam.* 5, *Res totæ substantiæ præter naturam.* Singula strictim, & qvasi in transitu, lustrabimus.

1. *Humores*, in corporis nostri sanitatem insultant ferocius, qvam in arietem incurrit aries, cum ipso comiscaturus, qvoties: vel, *propter naturæ fermenta vitiata*, vel, *propter ascititii fermenti virus*, vel, *ob sufflaminatam impurorum particularum separationem, corrupti*, & vitalibus distributi organis; *peccaverint*, seu *substantia*, seu

quantitate, seu *qualitate*, sive *motu*, sive *loco*. Qvibus si enucleandis immorari vellemus, integros scripturis commentarios dies ponùs, qvàm materia, deficeret. Monere tamen debuimus, metuenda APHONIÆ fræna injici linguæ; qvando, vel *Sangvis*, vel *Pituita, in grumos abiens tenaciores, seu Arteriam loquacem, seu linguæ dicatos occupaverit nervos.* Atqve, ex hac ipsa causa obmutuit per qvadriennium Christiano-hafniensis civis, *Nobilissimo* censente *Borrichio, in decus Patriæ & totius literariæ nato Reipubl. Act. Medic. Hafniensi Vol 1. p. 157.* Expediet qvoqve audire *Excellentissimum Wedelium, dignissimum Academiæ Naturæ Curiosorum, Herculem, in suis doctissimis Theoremat. Medic. p. 71.* Si violenter, inqvit, obstruuntur pori & principium spinalis medullæ, desubitò concidit machina, sive ab intrinseco principio, imbre qvodam, simul & semel irruat serum, vel sangvis commpressionis auctor fiat, sive ab extrinseco violento. *Si mitius id fiat; contingit* APHONIA. *si gravius; succedit Paralysis, sin gravissimè; mors sequitur.*

2. *Spiritus Animales*, (ubi, vel, qvoad *qvantitatem*, defecerint; vel, qvoad *qvalitatem*, qvasi in nebulas densati, complicaverint siparium; vel,

vel, qvoad *motum*, torpidiores, sociam subtraxerint operam;) APHONIÆ pœna linguam mulctant lapsabundam.

3. *Vapores* arguimus meritissimo jure, potissimùm *frigidiores*, & sulphur vehentes, narcoticum. Hi, in Ventre suscitati inferiore, atqve circa septum collecti transversum, triste virus exhalant ubiqve; donec non modo langvidiores reddiderint Animales spiritus, sed & Arterias carotidibus, Venisq; se insarserint jugularibus, linguæ sermonisq; præsentissimô damnô. Cui sententiæ, unà nobiscum, favent: *Celeberrimus Cardilucius*, *Offic. Sanit. pag. 261.* &, nunqvam satis laudatus, *Platerus*, *Praxeos Medic. Part. 1. p. 362.*

4. Ad hæc mala & alia qvoqve accedunt mala; dicta a Medentibus, *Res toto genere præter naturam.* Ex ista verò colonia prodeunt heic in theatrum: *Calculi*, *Lingua duplex*, *Vermes.*

Nostros horror perstringat animos, qvoties monstra *Calculorum* audimus, & portenta! qvorum tanta sævitia est, ut nihil truculenti minitetur ferale mugiens Taurus Phalaridis, qvod hi tortores iniqvi non promant crudelius. Neqve

unico,

unico, qvod dicitur, pugillo ipsorum arctare valemus latifundia; de qvibus verissimè dixerimus, juxta hanc sannam Tullianam, (stultorum plena sunt omnia.) paululum immutatam: *Calculorum plena sunt omnia!* Didicimus qvippe, ex aliis atq; aliis fide dignissimorum Medicorum Observationibus, inventos fuisse inauspicatò *Calculos*: in Cerebro, in Oculis, in Naribus, in Maxillis, Pectore, Corde, Pulmone, in Epate, Fellis vesicula, Liene, in Ventriculo, Intestinis, Mesenterio, Umbilico, in Renibus, Vesica, Pene, Scroto, Testibus, Utero imò arenularum per totum corpus erumpentis sudoris meminit, qvi omnia Naturæ arcana ad ungvem tenebat, *beatissimus Bartholinus, Histor. Anatom. 34. Centur. I.* Ausi sunt etiam aliqvandò *Calculi* Lingvæ metam figere, nec, nisi post impetratam veniam, usum sermonis concedere, silentium per APHONIAM imponentes. Adeatur pharus rariorum *Schenckius*, qvi *Observ. Medicinal. lib. 1. p. 191.* provocat ad auctoritatem Abenzoar, ita dicentis: vidi Lapidem generatum sub Lingva cujusdam viri, prohibentem ei locutionem, & eo remotò lapide, rehabuit vir loqvelam. Digniſimi sunt igitur atroces hi omnium

memi-

membrorum incolæ, qvos generosis impugnent remediorum spiculis Nobilissimu Medici. Atqve hoc qvam maximè commendari meretur *Pulvis saxifragus Excellentissimi Volckameri, Splendidissimi Academiæ Nat. Curios. Hebdomadis Fautoris & Amici mei singulariter colendi.*

Qvantam *Lingva* mortalibus præstet utilitatem, norunt omnes; etiam illi, qvi præter olus & asinos norunt nihil. Hanc unicam finxit Natura, cum sola nostro sufficiat desiderio, modò temeraria non peccaverit loqvendi licentia. Pœnæ, non muneris, loco habetur, qvæ rarissimè occurrit, *Lingva duplex* cujus paradigma nuper observavit *Experientissimus Doleus* in puellâ Nassoviensi qvintum egressa ætatis Annum. Hanc bilingvem a nativitate fuisse testatur, & tamen qvasi elingvem, cum propter magnitudinem, gravitatem ac crassitiem lingvarum, sibi incumbentium, vix lingvas movere, multò minùs loqvi posset. *Miscell. Curios. Acad. Nat. Curios. Tom. 7. p. 312.*

Non ad spectandum modò à *Vermibus* natas tragœdias, sed & ad sedandum, qvos iidem dedere, tumultus, sæpe vocamur Medici. Nemo autem à *Vermibus* vel gravius laborat, vel tri-

ſtius curatur, qvàm is, cui APHONIÆ labem aſpergunt. Hujus commatis fuit filiola civis Othmienſis qvadrimula, (cujus & viſio diſparuerat & loqvela,) meæ curæ ante triennium commiſſa; qvam foliis Anthelmuntricis è faucibus orci feliciter eripui. Hiſtoriam, lectu fortaſſe non indignam, fuſiùs deſcripſi in *Actis Medicis Hafnienſibus*, propediem edendis. ideoqve illuc curioſos remiſero lectores, ne nauſeam moveat bis cocta crambe.

5. Laudatis ſuccenturiamus *Res tota ſubſtantia præter naturam*, qvæ ſunt, meticuloſè nominanda, *Venena*, in τεχνολογία *Celeberrimi Scharffii* graphice deſcripta. Qvi autem hunc *Venenorum* effectum exemplo illuſtrandum vult, audiat *Experientiſſ. Gornerum*. de *Voce*, ob nummum venenatum in gula ſubſiſtentem, *intercepta*, ſic diſerentem: Catharina Clodienſis, cum M. Anton. Boſcolum ulciſci pro injuria illata non poſſet, ſimulatâ amicitiâ ipſius puerulo, in ſtrenam, nummum, ſingulari qvodam Veneno delibutum, amicè dedit. Puerulus ejus pulchritudine allectus, ſubitò arripuit, oriq; admovit; paulò poſt, puſtulis ex doloribus in ore excitatus, ipſum forte fortunæ deglutivit. mox faucibus

&

& gula subinde inflammatis, vox faucibus ipsis hæsit, nec clamare potuit, & qvamplurimis, sed frustra admonis, seqventi die obiit. Plura hujus Historiæ momenta legi possunt apud, meritissimum Apollinis domicilium, *Excellent. Benetum, Anatom. Pract. Tom. I. p. 370.*

CAPUT V.

De

SIGNIS.

APHONIÆ, sicut & aliorum morborum, *Signa*, sunt: vel, *Diagnostica*, vel, *Prognostica*.

Diagnostica, ad penitiorem hujus Affectus nos ducentia cognitionem, versantur, circa: *Morbum*, *Partem affectam*, *Accidentia*, *Causas*, *Symptomata*. Hæc autem Medicum reqvirunt Experientissimum, & satis circumspectum, cum ab ægroto, magis muto, qvàm piscis est, ea qvæsiverit frustra, ad qvæ alii rogati respondent promptiùs.

Ad *Prognostica*, spectant: 1, *Eventus ipse*. 2, *Eventus tempus*. 3, *Eventus modus*.

1. *Eventus ipse* consideratur, qvatenus tendit: vel, *ad Salutem*, vel *ad Mortem*. APHONIA, etsi nunqvam bona sit, aut periculo careat; tamen non semper irremediabilis, non semper lethalis est id qvod experientia evincit qvotidiana. APHONIA verò, *cum singultu, pessima est. Coo teste, Prædict. l. §. 23. Ita qvoqve pessimo est eadem, cum Exsolutione, & prostratione virium, Coac. Præsat. §. 245. Qvæ Febribus comitata accedit, mortem præmuntiat, Clariss. Caralucio teste, Offerm. Sanitat. p. 261. Qvodsi autem in continua Febre, APHONIA correpti, loqvantur, & ad se ipsos redeant, ubi sanguis è naribus fluxerit, & ubi vomuerint; servantur si vero hæc non fiant; moriuntur. Inqvit gravissimus Hippocrates, Coac Prænot. §. 77.*

2. *Eventus tempus*, concernit *Periodum*, vel, *Longiorem*, vel, *breviorem*. De utraqve hæc prædixit Medicinæ stator, *Hippocrates*: APHONIÆ, *cum Exsolutione, in Febre acuta, sine sudore, sunt qvidem lethales, minùs verò, qvæ cum sudore. verùm, diuturnitatem temporis significant. Pronunciant autem ex talibus habent,*

habent, quibus sanguis ex naribus fluit, & quibus alvus humectantur. Vide Loc. Praenotion § 256.

3. *Eventus modus* ad sex potissimum collineat metas: vel, 1, *subitò solvuntur sermonis repagula, aeger integram recuperat sanitatem.* vel, 2, *subito moritur aeger, quasi aeternum tacturus.* vel 3, *subito, à pristino recedens* APHONIA *moribus, mitiores induit, ceu adventantem salutatura sequelam.* vel, 4, *subitò, quasi vultu minace, ad extrema mortis decurrit jura.* vel, 5, *pedetentim ad Hygiae deducit palatium* vel, 6, *paulatim ad Mortis trahit umbras.* Rarò APHONIA *periodica* occurrit, qvæ per intervalla è sopore evigilat, in ronchos mox mox delapsura. qvalem hac tempestate lusit APHONIA lusum rarissimum, in juvene Würtenbergico, qvi, per integros qvatuordecim Annos, non nisi, singulis diebus, ab hora duodecima meridiana, ad primæ pomeridianæ punctum, loqvi potest fidem *Celeberrimo* faciente *Reiselio, Miscell. Curios. Acad Nat. Curios. Tom. 7. p. 425.* Et huc, ni fallor, referri meretur qvoqve Haderslebiensis ille de qvo ad me nuper ita scripsit *Celeber. Grubius, morbus laudatus Machaon Experientiss. Amicus meus venerandus.* Degit in hujus loco, vir qvidam, nunc qvadragenarius circiter, qvi annos ætatis expe-

ditæ lingvæ natus, eum ſeptimum ageret & decimum ætatis annum, animi aliqva perturbatione commotus graviter, Paralyſi affectus eſt alterius lateris, voce adeo ipſa intercepta in hunc usqve diem, ut præter germanicum illud, Ja & Nein/ nihil proferre verborum posſit. Poteſt tamen, (qvod ſummè miraberis mecum,) pias in ædibus ſacris canulenas, tam diſtinctè, tam articulatè, canere, ut, qvi canentem audit, peregrè adveniens, & vel ſingula verba diſtinctè canendô exprimentem, ſanctè aſſerat, nihil unqvam in loqvela ejus deſiderari. Negant tamen hunc mentem ſuam, æqvè poſſe ac hymnos, canendô exponere, qvi familiarius ipſo utuntur.

CAP. VI.

De CURATIONE.

NUllum indulgent otium APHONIÆ præcipitia fata; unde optimè in ſe conſulit ægrotus, qvi principio medicinam qværit.

Nolumus itaqve in *Theoria* Morbi nunc hærere diutiùs; qvi, è *Praxi*, *Curationem* ejusdem ſuccinctam promere decrevimus. Neqve tamen Metho-

Methodum Medendi in ſpongiam incumbere jubebimus; ne ad empiricam extemporalitatem mederi velle videamur. ſed, è fontibus Therapeuticæ limpidiſſimis, *præſidia* hauriemus: I, *Chirurgica*. II, *Pharmaceutica*. III, *Diætetica*.

I. Per obſtantia feliciùs eniremur dumeta; ſi ferrò *Chirurgico* aperuerimus iter.

A *Phlebotomiæ* celebratione auſpicamur commodiùs, ab interioribus mœandris, ad circuitum exteriorem pellicientis humores. Et claſſicum hoc canit Medicinæ parens, *Hippocrates*, in remedium APHONIÆ, ſangvinem poſcens: *Ut*, inqvit, *aliqvis derepente voce privatus fiat, venarum interceptiones facïunt. ſi ſano hoc ekntingat, absqve manifeſta, aut alia forte cauſa, venam ſecare oportet, in brachio dextro internam, & ſangvinem detrahere, juxta habitum ac ætatem ratione ineundâ, an plus aut minus oporteat, de Vict. acut. Text. XXXVII. § 38.* Parui, fateor, aliqvoties, cum inſigni afflictorum levamine. Attamen, non eſt de nihilo, qvam imperat, cautio, *Popular. 2. Sect. 5. § 17: qvicunqve derepente voce deſtituuntur, ſi ſine Febre ſunt, ipſis venam ſecato.*

Qvam

Quam dirum autem capiatur *in Febribus*, ex APHONIA, augurium, documentis nuperis *V. Capite*. Videat itaq; Medicus caliginosas APHONIÆ dispulsurus tenebras; ne, dum lumen sanitatis inferre tentaverit, ipsas, cum postibus, foras evellat. Tutiùs tunc *Cucurbitulis* supplicatur, Phlebotomiæ vicariis *Poros* quoque *Capitis, insensibili* reserari posse *modò* affirmant alii, si pectine firmiùs ducantur capilli versus occipitium. Proderit etiam *crebrò commitigare frictionibus Caput & Collum* quas tamen, ceu evanidas, explodit *Gremblius*, & nihil profuturas, etiam si quis excoriaretur, *Arbor. Integr. & rum. Hom. p. 169. §. 53.* Atat instructuosis frictionum precibus non tunderis surdastras pororum aures; si, sub initium, sanæ adhibeantur partu, scapulis, brachiis, pectori, dorso. sed post evacuationem, etiam nuchæ atque collo. Huic inservient usui linteola calidiora, sed asperiora insimul, quibus laudata dedolabuntur loca; madescant tandem urinâ pueri, in qua dissolutus fuit Sal ambustulatus. neque otiosam, quod dicitur, te perdidisse, & operam, videbis.

II. Loculos nunc excutiamus & pyxides, non Pandoræ, sed *Pharmaceuticæ*; visuri quantum

huc

huc conferre valeant, qvæ suo sinu condit, auxilia: 1, *Evacuantia.* 2, *Alterantia.* 3, *Specifica.*

1. *Evacuantium* primipilos fideles constituunt *Enemata*, à Capite revellentia sorditudines noxias, Cloacinæ immolandas. Nec à meta aberrabit hoc ipsum, qvod tentatum, secus non cedet:

R. Herb. Beton.
Calaminth.
Malv.
Origan. ana. M. ß.
Cort. Myrobal. Indic. ℥iij.
Rad. Asar.
Bryon.
Polypod. ana. ℥ß.
Coqv. in s.q. ▽ℵ font, ad consumpt. ⅔ p
Cola.
Colatur. libr. j add.
Mel Rosat. ℥j.
Sal. genum. ℥ij.
Ole. Oliv. ℥j.
M. f. l. A. Clyst.

Invitabunt qvoqve ad patrocinanas felix sedi inſertæ *Turundæ*. è qvarum familia, hæ ſegnius non facient imperata:

R. Spec. Hier. picr. c. Agar. ℥ß
Fell. Taur. inſpiſſ. ℥ß.
Sal. Rutæ, ℈ß.
Mell. Anthoſ. q. s.
f. l. A. Suppoſitoria bina.
illin. Ole. Diacolocynt.

Indiget *Cathartico* Caput: in promptu erit Helleborus niger; ſive pomo aſſando inſertus, donec purgante ejus ſucco prægnans pomum, rejectis radicibus, comedatur impunius. ſive, infuſo communicatus. ſive, in ſyrupum abiens. ſive, in Extractum concreſcens. His, & ſimilibus, proritabitur feliciter alvus ignaviot, Caput monitura, ut ſarcinam onerosam, uvido prægnantem ſpiſſamento, deponat animoſius.

Si neceſſitas *Emeticum* poſtulaverit, occurrent varia, qvibus ſaburratum ſolicitari poterit ſacciperium. Commodiſſimum eſt, inqvit *Celeberrimus Sennertus*, ſtatim *Vomitorium* exhibere, è Vitriol. albo & Sale Vitrioli, cum cere-

cerevisia calida, butyro condita. At suspectum reddunt, in lingvæ Paralysi, *Emeticorum* usum, *Rondeletius* atqve *Mercatus*. pugnante licet, pro ipsorum innocentia, *Experientissimo Foresto*, dummodò impransum non adoriatur APHONIA.

Prodesit etiam *Diaphoreticis*, labentem sub onere inqvi hostis, Naturam erigere, excitare, animare; ut, per fores pororum, ambobus qvod dicitur, occlusas pessulis, molesta depellat μιάσματα. Commendet hoic suum Vinum Salviatum *Doctissim Kyperus*, laudantibûs alia alîs. Certè, Spiritus Ligni Sassafras, cœteris, APHONIÆ opponendis, Sudorifera, vel palmam excorqvebit è manibus, vel in manibus infringet. Si autem spem conceptam frustraverint, circa sudorem eliciendum, vel omnia *Diaphoretica*; confugiendum, inter periculi plenissimos APHONIÆ scopulos, ad Syrupum Ambrosii, tanqvam ad sacram anchoram, svadet *Celeberr. Scholtzius*. propria edoctus Experientia, hunc, tanto ægrum naufragio feliciter eripere, dum nervos atqve universum corpus, magna vi, largoq; sudore, peccantibus levet humoribus. Descriptionem

ejus, rarenter occurrentem, prodit *Wecherus*, *Antidot. Special. p. 180.* fide bonâ eandem etiam recenſente *Scholtzio*, *Conſil. Medic. p. 153.*

Qvod ſi qvis, poſt uſum horum *univerſalium Evacuantium*, *Particularia* eſſagitaverit; non ignavum hoc experietur *Errhinum*:

R. Herb. Betæ,
Majoran ana. M ℈ vel ℥ß.
Contund. cum q. s. Aqv. Majoran. & exprim. ſuce.
expreſſus ſuccus, volâ exceptus, calidus hauriatur naribus.

Ptarmicorum largior ſeges eſt, pro everrenda Cerebri aula, ne ibi fraceſcat ungvinoſum magma è qvibus, gratum, & hoc, præſtabit uſum, Pulvis Naſalis Bartholinianus, deſcriptus, Act. Medic. Hafn. Volum. I. p. 50.

Apopblegmatismus parabitur conveniens, è Sinapi, Theriaca, Confect. Anacard Aqv. Apoplect. Spir. Armon.; ut, hoc aſtu, ſundantur, infudantur, & proliciantur ſeroſo-glutinoſi humores, lingvæ ipſiusq; Nervis tenacius impacti.

Nec

Nec *Vesicatoria* calcare convenit, vel fastidire, qvibus non ineptè noxias prolectantus ulbgines.

Veniendum tandem ad *Cauterium*, futuræ coronali primùm, inde etiam occipiti inurendum, ut ad hanc confluant lacunam deonerandi humores, latrina dignissimi. Verùm, tunc demum, huc descendendum erit, cùm, tentatis neqvicqvam omnibus alus, extrema urgeat necesitas.

2. *Alterantium* numerosam convasare farraginem, nostra non expetunt tempora; attamen, sine recensione, castra ipsorum silentes pertransire noluimus. Conducent, in Paroxysmo: Spiritus Theriacalis; Extractum Theriacale, Salviæ succus, vel Extractum; Oleum Anisi; Ol. Rorismarini; Castoreum, cum succo Poeoniæ; Theriacæ immixta. Semina Erucæ pulverisata; si his torpida refricetur lingva, donec verernum excusserit. Extra Paroxysmum, suo se nobilitabit effectu hæc Mixtura, ad guttulas 30; vel 40, in Vino Liliorum Convallium, bis vel ter, de die, propinata.

℞. Spir. Ceraſ. nigr.
Flor. Lilior. Convall.
Primul. Ver. ana. ℥j.
Eſſent. Flor. Anthos.
Lilior. Convall.
Salviæ, ana. ʒß.
Miſc.

Imò, è re erit, nucham & cervicem utiliſſimè hoc inunxiſſe *Linimento*:

℞. Balſam. Peruvian. ʒiij.
Ol. deſtill. Caſtor.
Ligni Saſſafr.
Rorismar.
Rutæ
Salvi, ana. gutt. viij.
Miſc.

3. *Specifica* ſalutantur, à qvibus tuta ſperatur, & cita, medicatio. Talia habẽtur, à ſeqventibus, ſeqventia; Spiritus Ceraſorum nigrorum, ad miraculum usqve reſtituit loqvelam, auctoritate *Experientiſſ. Grulingii, Medic. Pract. pag. 164.* Pro magno ſecreto, in loqvelæ defectu habetur, ſi in Decocto piſorum, vel, qvod melius eſt, cicerum, non ſolito, 3 vel 4 guttæ ſangvinis ex aure Aſini molaris extracti, per aliqvot dies, vacuo aſſumantur

tur stomacho, inqvit, ex fide Nymanni, *ingeniosissimus Camerarius*, *Syllog. Memorab. Med Cent. 16. p. 338.* Gran Juniperi M ij. contund & macer. in Aqv. Vitæ mensura; per triduum Colat: imponantur Salvia, Pulegium, Nasturtium, & Croci 3ß. detur patienti, & statim loqvelam recuperabit. spondente *Peritissimo Mullero*, *Miracul & Myster. Chymico-Med. p. 83.* Post exhibita Pœoniæ (depositis corticibus) grana triginta, fœminam aliqvando mox loqvi cæpisse, prodit *Experient. Schelzius*, *Consil. Medic. p. 155.*

III. Accedet ad recensita præsidia, velut cumulus, *Diætetica Medicina*, qvam victu mederi dixit, Medicorum Cicero, Celsus. Huc spectat *Diæta*: 1, *Vitalis*, *Aëra* corrigens. 2, *Naturalis*, *Cibum* attemperans & *Potum*. 3, *Animalis*, concernens: *Motum* & *Qvietem*; *Excreta* atqve *Retenta*; *Somnum* ac *Vigiliam*; nec non *Pathemata Animi*. De his pauca, eòq; nunc pauciora, qvo plura de iisdem, è *Cap. III.* possunt intelligi.

1. *Vitalis*, hic reqvirit *Aërem*, *calidum & siccum*. qvalem, si sors non obtulerit, ars efficiet, per

per suffitus, è Succino, Benzoe Thure, Storace calamita, Caryophyllis; qvibus utilissimè etiam pulvinaria suffire convenit atq; pulvillos. Nocet *Aer udus & frigidus*, potissimum si per rimulam aut semiapertas eluctatus fores, in Caput incurrat graviter. Multum verò referet Lunaribus radiis Caput subduxisse maturiùs, ne, viscatis forsan & hamatis muneribûs, vel sua promat, vel aliena corripiat, Phœbe.

2. *Naturalis*, in *Cibo & Potu*, victum exsiccantem, atqve moderate calefacientem, hic efflagitat, aromatibus conditum. Harum ignarus rerum, adeat *Galenum, de Alimentorum facultatibus*; *Pisanellum de Alimentorum facultatibus*; ac *Bruyerini Dipnosophium & Sitologium*, satis elegantem. Qibus qvi adjunxerit *binos in arte nostra Celeberrimos Dynastas, Fautores ac Amicos meos honoratissimos*; *Excellentissimum Wedelium, de Medicamentorum Facultatibus cognoscendis & applicandis*; *atqve Experientissimum Grubium, de Modo simplicium Medicamentorum Facultates cognoscendi*; (qvos Commentarios exasciatos, in unis suarum, qvas mihi scripsit, cultissimarum literarum, se auctiores adhuc & emendatiores editurum promisit eruditissimus Auctor, cujusvis argu-

argumenti onus suô calamô fortiter sustinens, ultrà Stagiriten se profecisse gaudebit.

3 *Animalis*, moderata durare monet, & ubivis attendere jubet, ne qvid minus, ne qvid nimis, qva *Motum aut Qvietem*; qva *Excreta aut Retenta*; qvà *Somnum aut Vigiliam*; qvâ *Animi Pathemata*. Horum qvippè vel *excessus*, vel *defectus*, præstat, ut horrenda ejus capiti comitia fiant, cui usum Lingvæ repressit (qvam Deus a nobis clementer avertruncet!) malè-feriata APHONIA.

Tantum! de **APHONIA**, *Adscititiis* annumeranda *Morbis*. *Nativâ* qvi laborant, solatium sibi qværant apud *ingeniosissimos Montanum, Wallisium, Holderum*; ut, ad horum, modò foverit fortuna, ductum, tandem loqvi discant, vel, si infra vota substiterint tanti Mutorum-, Surdorumqve Magistri, apud *Israelu Medicum* Asylum invenient tutissimum, hâc, omnium commiseratione dignissimâ, laborantes APHONIA.

MANTISSA.

1. *Impudentissimi oris est, infrunita verborum licentiâ in hujus vel illius Nationis Doctores incurrere.*
2. *Stultè bis terq; facit, qui falcem ignorantiæ suæ in segetem Medicinæ immittit.*
3. *Medico indignum est, quod quæritur in Qualitatibus Occultis, ignorantiæ latibulum.*
4. *Eodem acumine, sed ridendô, quô sedem libidinis in ventriculo posuit Helmontius; sedes timoris pone poterit in capillis.*
5. *In Fermentatione delitescunt & Generationis & Corruptionis mysteria.*
6. *Solum Temperamentum Sanguineum, veri Temperamenti tuetur titulum.*

Præclarè Seneca:

Medicinæ, apud ægros, Usus; apud sanos, Honor est.

MISSUS.

CUm valeant verba, ut nummi; gerat oportet in calcaneo cerebrum, qui probam, ab adulterina, monetam accuratè distinguendam non censet. Dissertationem hanc à capite, quod dicitur, ad calcem relegenti, varia occurrent rarioris usus Vocabula, vel centenarium excedentia numerum, nec curvis fortè nota. Ne autem, vel, mihi hæc, ante exspectatum, excidisse suspicentur, quibus sanctius cum Linguæ Latinæ Auctoribus commercium non est; vel, prò novatâ aut hybridâ exsibilent vocibus, à trullis recentes vinarias cavillatores desiderii, qui, melius, pejus, prosit, obsit, nil valent, nisi quod libet, nil laudent, nisi quod ipsi libitè fecerint; posteris hæc recensere decrevi. Ut autem priorum mihi concilietem gratiam; obscurioribus vocibus glossam commodabo. Ut bilem posteriorum concitem; singulas fide Auctorum intemeratâ muniam, ne sibi à cerulis criticorum vernilium metuant minas tulis.

A.

Amasius. *Plaut.*
Ambulatiuncula. *Plaut.*
Aorgyris *vel.* rus. *Plin. Festus, grave edere.*
Architectus. *Cic.*
Afotus. *Cic. Perditus & profusus.*
Avertunco, *Liv. 5. Averto.*

B.

Biber. *Gell*
Bibulus *Plin.*

C.

Calcaneum, & um *Virg*
Camarina *Virg Palus gravioleus.*
Cerula minutula. *Cic 2. Leuma, quâ fusfilia signantur loca.*
Clamosus *Quintil.*
Collabesco. *Plaut.*
Columbolus *Plin*
Concunnitudo *Cic.*
Conifco *Quint Frontem frontis parare*
Conopeum *Juven Velum, quod ter circumdatur.*
Convafo *Ter*
Copedula. *Gel. Lautior cibus.*

D.

Damasicus. *Plaut*
Danista *Plaut 2. Fenerator.*
Dapsatura *Plaut.*
Dearcuatus. *Plaut.*
Dedolo *Plaut*
Defaecatus, *Mart. 2. Lotus.*
Denfatus, *Macrob.*
Dynastes. *Cic.*

E.

Effretus. *Liv*
Elutrio *Plin. de vase in vas transfundo.*
Ergastulum. *Cart Locus in qvo mancipia in vinculis opus facere cogantur.*
Eruditus. *Catull.*
Esculenta *Cic.*
Evanidus *Ovid.*
Evergo *Liv. 21 Evello.*
Exasciatus *Plaut.*
Exemperalitas. *Sen.*

F.

Farrago. *Juven.*
Festivus. *Ovid.*
Fetus, 4, um. *Virg.*
Fracesco. *Colum Vinaceis putrefio*

G.

Glossa *Quint 2. Interpretatio.*
Glutinosus. *Colum.*
Grumus. *Non: Ocularum sordes.*

H.

Horridulus. *Cic.*
Hybrida. *Plin Semifera.*

I.

Inhaerentia, *Plin.*
Immunitas *Cic.*
Impensus *Plaut.*
Impuratus. *Ter.*
Incerniculum. *Plin Instrumentum, qvo frumenta purgantur*

Indum-

Viro Clarißimo & Experientißimo,

GEORGIO HANNÆO,

Amico integerrimo,

in

materia muta & elingvi,

diſertiſsimo,

Organa qvi læſa memoras obſtructa Loqvelæ.
Et totidem lingvæ vincula nexa doces,
Eloqvio pollens, propriæ Te frænula lingvæ,
Et remoras vocis, diſſecuiſſe probas;
Teſtatur latiam, qvâ ſtillat, pagina ſvadam,
Verbáq; mellifluis exſpatiata modis,
Et mox uberiùs ſe noſtris ſvada Cathedris
Exeret, & pleno Tullius ore ruet.

Dum

Dum miseris vocem reseras, injectaq; lingvæ
Vincla, Machaonia clarus in Arte, levas;
Te lingvæ memorant centum, centum ora loqvuntur,
Et totidem in laudes officiosa Tuas.
Elingves alii torpent, qvi scripta Medentûm,
Rodere, & innocuis bella ciere solent,
Viribus eloqvii, ceu fulmine tacta, silebunt
Mille Machaonia monstra inimica gregi.

OLIG. JACOBÆUS.
D. & Prof.

GEOR.

Nobilissimæ

FACULTATI MEDICÆ,

&,

qvotqvot doctissimo suo sinu complectitur

Regia Academia Hafniensis,

MEDICINÆ DOCTORIBUS

Experientissimis,

meum.

hunc fœtum Apollineum

submissè consecro

GEORGIUS HANNÆUS.

VIRO

Celeberrimo, Experientißimo,

Dn. Doct. GEORGIO HANNÆO,

Cùm post illustria sui experimenta in Reg. Hafn. Athenæo

Suprema Lauru Medica coronaretur.

HANNÆE, Aonidum justissima cura Sororum,
Et patrio duplici nomine clare solo;
Sive Othinigenam formasq́, polisq; Minervam,
Seu Medicâ infestam corrigis Arte luem.
Scande diu meritam, Phœbo invitante, Cathedram,
Et fruere Ingenii donibus usqve tui!
Conjugium Lachesis dissolverit! altera scena
Panditur, antè Uxor fœmina, nuncq; Dea est.

OL. BORRICHIUS.

Indemnis. *Ennod.*
Infructuosus *Plin.*
Infrunitus *Sen. & Stellatus.*
Ingnipotus. *Cic.*
Insimul *Stat.*
Insubidus. *Gell. & Insipidus.*
Intemeratus *Virg.*
Interminor. *Plaut.*
Irremeabilis. *Plin.*

L.

Lacuna *Cic. & Fossula.*
Lascivibundus *Plaut.*
Latea Lyra. *Virg. & Vimen.*
Letifundium *Plin.*
Latrina. *Apul. Locus privatorum sordium.*
Linguiaca *Plaut. Blateratrix.*
Lingvarium *Sen. Lingvæ repositorium.*
Locuplejus *Gell. Blatero*
Lordoria, *Martial. Contortio.*

M.

Magma. *Vitr. Massa fulta ex unguentorum faecibus*
Male feriatus *Hor. Ignavus otio torpens.*
Masculo *Fest. Additamentum.*
Merculosus *Plaut.*
Mielleus *Cic.*
Misus *Lamp. Vasculorum appositio*
Meander *propr. Phrygiæ fluvius. Metaph. Flexus sinuosus. Cic.*
Molitus. *Liv.*
Molluscubus *Plin.*
Morbonia *Ovid, Morborum oppidum*
Morio. *Gell. Mimus Dom.*
Muscicus, *Lucil*

N.

Nequicquam *Curt. Frustra.*
Nidor *Mart. Fetor rei adustæ,*
Nigrans. *Colum.*
Nimietas *Colum.*
Nimiopere. *Cic.*
Novatus. *Ovid. Nuper factus.*
Novitet. *Plin.*

O.

Obbrutescit. *Lucr. Brutum fit,*
Obligatus. *Justin.*
Oblivio. *Ovid.*
Obscævo, *Plaut. Omen malum affero,*
Occidio *Cic. Cædes.*
Occipitium, *Plin.*
Occultatum *Plaut.*
Ominosus *Plin.*
Omnimodus. *Lucret.*

P.

Palmodia. *Cic. Cantus contrarius,*
Passerculus. *Plin.*
Pennigor. *Cic.*
Perennè *Colum.*
Peripetasma. *Cic. Aulæum, quo circumdantur parietes.*
Petulcus *Virg.*
Phanum *Plin. Ægypti insula & signum monstrorum.*
Poëtari *Fest.*
Posthimius. *Cic.*
Potulenta. *Avien.*
Præcipitanter *Lucret. Inconsiderate,*
Privilegium. *Cic.*

Prolecto.

Prolecto *Cic*
Propylæum. *Cic. Vestibulum.*
Pronto *Calum.*
Pulvillus. *Hor.*

R.

Rancatet *Gell.*
Receptio *Cic.*
Rachias. *Mart*
Ronchus. *Mart. Sonus serpentis.*

S.

Subcretatus. *Plaut. Mensa signum magnum.*
Sanna *Juvenal Derisus.*
Scomma. *Macrob. Cavillum.*
Semiapertus. *Liv.*
Sequior. *Apul*
Siparium *Juven Velarium.*
Sorbillum. *Plaut. Potus sorbitioni apta.*
Sordidatos. *Cic.*
Sorditudo *Plaut. Sordes.*
Spissamentum *Calum.*
Svavitudo. *Plaut.*
Svccenturio *Vel Numerum supplens Centurie.*
Sellamen. *Juven Retinaculum, quod rotæ injicitur.*
Surdastrè *Cic*
Suscutabulum. *Varr. Incitamentum.*

T.

Trifurca. *Plaut.*
Trulla *Juven Varronis Latinè & profundum.*

U.

Ubigo. *Var. Humor præsertim terræ amicus.*
Unx. *Terent.*
Uegvinosus. *Plin. Ungvium, v: unguenta, vel ungvenţi succi, unctiosus.*
Ulitarius. *Plaut.*
Uvidus. *Virg Humidus.*

V.

Vernilis. *Tac Servilis.*
Vesania *Ovid.*
Vmotius. *Plaut. Ad Vinum pertinens.*
Vomito. *Calum.*

Technicis (philosophico sit venia termino!) qvæ sparsim occurrunt, vocabulis, assvescant Artis filii, ignoscant Magistri.